

Nf. 16.



15.
DISSERTATIO PRIOR
DE
PECCATO
IN SPIRITVM
SANCTVM,

QVA
DE SEDIBVS HVIVS DOCTRINAE BIBLICIS,

NEC NON
PECCATI HVIVS OBIECTO ET SVBIECTO
PECCANTE AGITVR:

IN REGIA FRIDERICIANA

DIE SEPTEMBRIS HVIVS MDCCXXVII ANNI
PVBLICAE DISQVISITIONI SVBMISSA

A

D. IOACHIMO LANGIO,
S. THEOL. PROF. ORDIN.

ET RESPONDENTE

FRANCISCO ANTONIO FRIDERICO Noth, u.

BOMBECCA - PALAEO - MARCHICO,
S. THEOL. CVLTORE,

HALAE MAGDEBVRGICAE

TYPIS CHRISTIANI MENCKELII ACAD. TYPOGR.

DISSERTATIO PRIOR

DE PECCATO
IN SPIRITUM

SANCTUM

DE SEDIVS HVIVS DOCTRINAE RIBVICIS

PECCATIVIVS OBIECTO ET SVBIECTO

DIE SEPTIMAE HVIVS MDCCLXXV ANNI

D. IOACHIMO LANGIO

S. THEOLOGOR ORDIN.

FRANCISCO ANTONIO FREDERICO

A. THEOL. CENSOR.

WILHELMO WAGNERO

AVTH. CHRISTIANI NINGEBELI REAM. TYPOG.





DISSERTATIONIS PRIORIS
DE
PECCATO IN SPIRITVM
SANCTVM

CAPVT I
DE
Sedibus, seu locis, huius doctri-
næ biblicis.

CLASSIS PRIMA

Continens loca, in quibus expressa huius peccati
mentio fit.

LOCVS I.

Matth. XII, 24. 31. 32.

v. 24. *Pharisæi cum hæc (de eiecto dæmonio) audiissent,
dicebant: iste non eiicit dæmonia, nisi per Beelzebulem
principem dæmoniorum.*

v. 31. *Propterea dico vobis, quoduis peccatum & blasphemia
remittetur hominibus, blasphemia vero contra Spiritum
Sanctum non remittetur hominibus.*

A 2

v. 32.

v. 32. *Et quicumque locutus fuerit aduersus filium hominis, remittetur ei: quisquis autem fuerit locutus aduersus Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro.*

LOCVS II.

Marc. III, 22. 28. 29. 30.

- v. 22. *Scribae vero, qui Hierosolymis descenderant, dicebant: habet Beelzebulem, & per principem demoniorum eiicit demonia.*
- v. 28. *Amen dico vobis, quæuis peccata remittentur filiis hominum & blasphemie, quibuscunque blasphemarint.*
- v. 29. *Sed quicumque blasphemauerit in Spiritum Sanctum, non habet remissionem in æternum, sed obnoxius est æterno iudicio.*
- v. 30. *Dicebant enim: Spiritum impurum habet.*

LOCVS III.

Luc. XII, 10.

Quisquis dicit sermonem in filium hominis, ei remittetur: ei vero, qui aduersus Spiritum Sanctum blasphemarit, non remittetur ei.

Observationes ad hæc loca.

I.



Christus hæc effata de peccato in Spiritum Sanctum non protulit vno eodemque tempore, sed temporibus diuersis, diuersaque occasione: quemadmodum ex harmonia Euangelistarum constat.

2. Inter

2. Inter tria ista oracula ratione temporis primum est illud Marc. III. quod Dominus edixit anno ministerii secundo in Galilæa Capernaumi. Secundum est illud Matth. XII. quod eodem ministerii anno, sed post aliquot profectiões multaque opera interiecta, itidem in Galilæa protulit. Tertium, seu illud Luc. XII, 10. pertinet ad annum ministerii tertium, prolatum in Iudæa prope Hierosolyman eo tempore, quod inter festum tabernaculorum & templi encæniam medium intercessit.

3. In locis duobus prioribus Matth. XII. Marc. III. & occasio desumpta est a blasphemia illa, qua opus mere diuinum, cum Christus Spiritu DEI sine mensura vnctus dæmonium eiecisset, diabolo tribuebatur, & ipse Christus maligni cum diabolis commercii postulabatur; vt textus ipse perhibet. Et hoc ipsum conuicium atrocissimum etiam oraculo tertio occasionem dedit, si narrata capituli duodecimi cum iis capituli vndecimi, ad eundem temporis articulum pertinentibus, conferantur.

4. Cum Christus tribus vicibus ac tribus in locis pro occasione eiusdem recurrentis diuersitate aliqua idem argumentum tractauerit, haut obscure indicauit, id magni omnino momenti esse.

5. Peccati vero in Spiritum Sanctum commissio non adstruenda est ad solum illud conuicium, quo eiectio dæmonii, pro opere diabolico habebatur, sed generatim referenda est ad hostilem illam Phariseorum & scribarum *ἐπιλογίαν*, qua Christi dicta & facta omnia maligne interpretabantur ac pervertebant, & hac ratione non solum conuictioni, quam de eorum veritate & diuinitate ipsi acceperant, obiecem ponebant, sed id etiam agebant, vt, quidquid conuictionis ac fidei Spiritus Sanctus per eadem in aliis excitauerat, conuellerent & exstinguerent, conuersione istorum hominum hostiliter impedita, & regno Christi, quod per multorum con-

conuersionem erigebatur, impugnato. Quare, quando Christus, occasione operis de eiecto dæmonio impugnati, de peccato in Spiritum Sanctum loquitur, nominata specie eximia omnino intellexit genus, seu hostilem celestis veritatis & negotii conuersionis impugnationem.

6. Generalior hic respectus manifestus est in ipsis locis istis tribus. In istis enim generatim dicitur: *quisquis locutus fuerit, seu dixerit blasphemiam, aduersus Spiritum Sanctum, non remittetur ei.*

7. Et hunc sensum generaliore confirmat ipse Christus Matth. XII. quando post factam peccati in Spiritum Sanctum mentionem v. 34. ita pergit: *progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Nam ex redundantia cordis os loquitur: & v. 35. nouus homo e bono thesauro cordis profert bona verba: & malus homo e malo thesauro profert mala: & v. 36. Sed dico vobis, reddendum esse rationem in die iudicii de omni verbo prauo, quod locuti fuerint homines.*
κ. τ. λ.

8. Idem sensus Christi generalior multo adhuc illustrius patescit e loco Luc, XII. utpote cuius contextus antecedens, post commemorationem blasphemie, ob eiectum dæmonium in Christum coniectæ, prolixam continet epinorthosin aduersus Phariseos & legis peritos, eorumque hypocrisin & hostilitatem; vbi Christus inter alia ipsis exitium denuntiat, quod acceptis & male vsurpatis regni cælorum clauibus non solum ipsi in illud non ingrediantur, sed ingressuros etiam inde arceant. Cap. XI.

9. Remittendi, seu *condonandi actus* in citatis locis partim concessus, partim negatus, supponit ordinem *pœnitentiæ*, vel intercedentem, vel exclusum.

10. Tria ista loca sunt præcipuæ sedes doctrinæ de peccato in Spiritum Sanctum, ideoque in huius materiæ tractatione præcipue ad sedes istas respiciendum est.

11. Illi, qui peccatum in Spiritum Sanctum committunt, maxime sunt *ex ordine docentium pharisaico*, vti ex iisdem locis liquet.

12. Ceterum, quemadmodum loca in sacris litteris, præcipue in historia Euangelica, sunt quam plurima, quæ agunt de peccato in filium hominis, etsi nulla eius expressa sit mentio: sic non est dubium, etiam peccatum in Spiritum Sanctum passim commemorari, quamuis expressa eius mentio haut sit facta. Et de his saltem horum præcipuis, nunc etiam strictim agendum est.

CLASSIS SECUNDA

Locorum de peccato in Spiritum Sanctum in historia Euangelica occurrentium.

LOCVS I.

Matth. X, 17. 199.

- v. 17. *Cauete vobis ab hominibus. Tradent enim vos in confessus, & in synagogis suis flagellabunt vos.*
- v. 19. *Sed cum tradent vos, ne estote solliciti, quomodo, aut quid loquamini. x. r. λ.*
- v. 20. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri est, qui loquitur in vobis.*
- v. 24. *Non est discipulus supra doctorem, neque seruus supra dominum suum.*
- v. 25. *Si ipsum patrem familias Beelzebulem vocarunt, quanto magis domesticos eius?*

Observationes in hunc locum.

1. Videmus, Christum hic in commemoratione prophetica aduerforum, quæ discipulis ipsius obuentura erant, nertum.

vum peccati, quod præuidebat, a discipulorum hostibus aduersus ipsos commissum iri, ponere in illo ipso, quod in descripto peccato aduersus Spiritum S. præcipuum erat, hoc est, in *blasphemia*, qua criminabantur, discipulos Christi non minus habere Beelzebulem, eoque agitari, quam ipse eorum magister eundem habuerit. Peccatum vero in Spiritum S. committi præcipue aduersus illos, qui discipuli ac serui Christi eiusque spiritu vncti, atque ita Spiritus Sancti Christum glorificantis organa sunt, deinceps videbimus.

2. Quemadmodum in locis tribus prioribus peccati in Spiritum S. rei peraguntur pharisaici ordinis, qui pseudo-didascalorum est, homines: ita hic etiam eiusdem generis aduersarii pro discipulorum ac testium Christi hostibus habentur. Idem v. 16. vocantur *lupi*, quos vt Christus hic tamquam rapaces describit: ita etiam Matth. VII, 15. rapaces, sed pelle ouina tectos, appellat.

3. Quemadmodum locis prioribus dixerat, se Spiritu, quo in immensum vnctus erat, Dei, tamquam omnipotenti eius digito, agere, quæcunque agat: ita etiam hoc loco testatur, discipulos suos in officio suo non fore solos, sed Spiritu S. ita vnctos, vt ex eodem loqui possint.

4. Sicuti in locis prioribus præter peccati in Spiritum S. etiam peccati in filium hominis fit mentio: ita etiam hoc in loco non solum agitur de diuexationum autoribus, tamquam peccatoribus in Spiritum S. v. 16. 17. sed de aliis etiam aduersariis, ad hostilitatis societatem concitatis & cæco imperu coëuntibus, tamquam peccantibus in filium hominis v. 21. 22. 23. conf. v. 28. 33. 34. seqq.

5. Ceterum huc ex Matthæo pertinent loca sequentia c. XI, 19. XXI, 15. 45. 46. XXII, 15. XXIII, 34. XXVI, 59. 65. XXVII, 1. 20. 41. 63. Eadem est ratio locorum parallelorum apud Marcum & Lucam de sarcasmis & conuiciis, in Christum eiusque ministerium coniectis. De locis vero ali-

aliquot Ioanneis, vt seorsum agatur, instituti ratio potulat.

LOCVS II.

Io. VII, 32. sqq.

- v. 32. *Audiebant Pharisei turbam istam murmurantem de eo, (Iesu, quod esset Christus) & miserunt Pharisei ac primarii sacerdotes ministros, vt eum prehenderent.*
- v. 47. *Responderunt eis (ministri ad Christum comprehendendum misis) num & vos seducti estis? u. r. l.*
- v. 52. *Num & tu Galileus es?*

Observationes ad hunc locum.

1. Manifestum est, Phariseos hic peccasse contra conscientiam. Certe enim, quod Nicodemus suo & ipsorum nomine iam antea dixerat: *magister, scimus, te a Deo venisse doctorem: nemo enim potest hæc signa edere, quæ tu edis, nisi Deus sit cum ipso*; nunc post maiorem conuictionem acceptam de iis valebat.

2. Manifestum porro est, hos Christi hostes id egisse omni conatu, vt conuertenti gratiæ apud alios obiecem ponerent, & quidem sub prætextu tuendæ orthodoxiæ Iudicæ, cui aduersari Christum criminabantur.

3. Quæ cum ita sint, manifestum porro est, etiam hunc locum, tamquam prioribus parallelum, de peccato in Spiritum S. agere.

LOCVS III.

Io. VIII, 48. seqq.

- v. 48. *Responderunt ei Iudæi & dixerunt: Nonne recte dicimus, te Samaritanum esse & dæmonium habere?*
- v. 52. *Nunc agnouimus, te dæmonium habere, u. r. l.*
- v. 59. *Sustulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum, cct.*

B

Obfer.

Observationes in hunc locum.

1. Etiam hunc locum prioribus istis tribus re ipsa esse parallelum, liquet, vti e re ipsa, sic e paritate criminationis horrendæ de dæmonio.

2. Et hic etiam aduersarios fuisse rectius conuictos & *avrouatæritas*, constat cum ex eo, quod ex parte fuerunt iidem, de quibus actum est hætenus; tum e re ipsa & ex hoc ipso loco, vbi Christus ipsis exprobrat, quod propositæ veritati ad sensum malitiose negauerint, & ad atrocissimas iniurias proruant.

3. Huc omnino etiam pertinet locus e cap. IX. v. 22. 28. 34. 39. 40. 41. vbi videmus, quomodo Christi aduersarii, in ordine docentium constituti, omni conatu impediuerint, quominus alii e populo Christo se addicerent. Quod tamen penitus impedire haut potuerunt.

LOCVS IV.

Io. X, 20. 31. 39.

v. 20. *Multi ex illis dicebant: habet dæmonium, & insanit: quid eum auditis?*

v. 31. *Sustulerunt ergo rursus Iudei lapides, vt eum lapidarent.*

v. 39. *Rursus studebant eum prehendere, sed exiuit ex eorum manu.*

Observat. ad h. I.

1. Eandem huïus esse ac præcedentium locorum rationem, itidem res ipsa indicat, in primis *conuictum de dæmonio*.

2. Apud peccatores in Spiritum S. iniurias in verbis potestas coniunctas esse cum iniuriis grauiorum diuexationum, nisi hæ fuerint impeditæ, ex hoc ipso loco constat. vti e reliquis etiam.

CLAS-

Locorum de peccato in Spiritum Sanctum in historia Apostolica, seu Actis Apostolorum occurrentium.

LOCVS I.

Act. IV, 13. seqq.

- v. 13. *Conspecta Petri in dicendo libertate. cet.*
v. 14. *Et hominem illum, qui sanatus fuerat cernentes stantem cum eis, nihil poterant contradicere.*
v. 15. 16. *Iussis autem ipsis extra concilium abire, conferebant inter se, dicentes: quid faciemus istis? Conspicuum enim signum editum esse per eos, manifestum est omnibus habitantibus Hierosolymae, nec id possumus negare.*
v. 17. *Sed ne amplius (id) serpat in populum, minaciter interminemur eis, ne posthac vlli homini loquantur in nomine isto. x. r. l.*
v. 21. *Illi vero non inuenientes, quomodo punirent illos, additis minis eos dimiserunt propter populum, quia omnes glorificabant Deum super eo, quod factum erat.*

Observationes in h. l.

1. Peccatores hic praecipue fuisse ex ordine docentium, rursus manifestum est.
2. Nec minus liquet, eos fuisse ἀνομοκταλέτους, seu peccasse contra conscientiam, in primis auctoritatis suae praevudicio fascinosos.
3. Et quod in reliquis conspicuum est locis, etiam hic est evidentiissimum, aduersarios Christi suam causam, cuius

centrum erat *Φρόνημα τῆς σαρκός*, ita egisse, vt Christi gloriam obscuratum & regni diuini incrementa acerrime impugnantum iuerint.

LOCVS II.

Act. V, 17. seqq.

- v. 17. & 18. *Confurgens autem summus sacerdos & omnes, qui cum eo erant, (quæ est heresis Sadducæorum,) repleti sunt inuidia, & iniecerunt manus in Apostolos. cet.*
- v. 31. *Hunc ipsum statuit Deus principem & seruatorem, & exaltauit eum dextra sua, vt daret conuersionem & remissionem peccatorem Israël:*
- v. 32. *Et nos testes sumus eius sermonum horum, ac Spiritus S. ipse, quem dedit Deus eis, qui ipsi morem gerunt.*
- v. 33. *Sed illi his auditis fredebant & consultabant de eis interficiendis.*
- v. 40. *Adfensi autem sunt ei (Gamalieli), & cum aduocassent Apostolos, cæsis mandarunt, ne loquerentur in nomine Iesu. cet.*

Observationes ad h. l.

1. Præter Pharisaici ordinis homines etiam Sadducæos, seu Epicureos, non nunquam eo iniquitatis progredi, vt reclamante conscientia rectius conuicta surgenti regno Christi & applicatricis, seu conuertentis, gratia ministerio se opponant, ex hoc loco constat.

2. Peccatum vero horum hominum fuisse in Spiritum S. ex eo etiam manifestum est, quod hic Apostoli ipsius Spiritus S. testimonium suo testimonio expresse iungant, significaturi, non tam sibi, quam ipsi Spiritui S. fuisse repugnantum. Et gratia euangelicæ ministerium esse opus Spiritus S. Christum glorificantis, nemo nescit.

3. Quan-

3. Quantus autem conscientiae remorsus etiam hic infidelis ac furori intercesserit, facile potest colligi e conuictione, quam aduersarii acceperant, efficacissima.

LOCVS III.

Aet. VII, 51. seqq.

v. 51. *Duri ceruice & non circumcisi corde & auribus, vos semper Spiritui illi Sancto obnitimini; quales fuerunt patres vestri, ita & vos.*

v. 52. *Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri.* u. t. l.

v. 54. *Audientes autem haec, scindebantur cordibus & stridebant dentibus in eum.*

v. 55. *Cum autem esset plenus Spiritu S. cet.*

Observationes in h. l.

1. Quam efficax per Stephani ministerium fuerit officium Spiritus Sancti, Lucas cap. VI. testatur. Vnde quicumque repugnabant Stephano, repugnabant Spiritui Sancto & huius ministerio ad conuersionem animarum tendenti, cum Stephanus Spiritus Sancti numine esset repletus.

2. Cum patres Iudaeorum hic aduersus Stephanum furentium eiusdem peccati, seu contumaciae Spiritui Sancto appositae, arguantur, manifestum est, etiam ipsos commisisse peccatum in Spiritum Sanctum, & hoc nequiquam ad sola Messiae tempora pertinere, sed omnium fuisse ac esse temporum veteris ac noui testamenti.

3. Nec huic expositioni, qua hoc Iudaeorum delictum aduersus Stephanum patratum pro peccato in Spiritum S. habetur, obstat, quod Stephanus pro aduersariis suis orasse dicatur; pro peccatoribus vero in Spiritum Sanctum, secundum locum 1. Io. V, 16, orandum non fit, nec veniae pro ipsis apud Deum sit locus. Distinguendi enim hic sunt iudices

dices & alii rectius informati, ab illis, quibus mandata erat decreti exsecutio, nec non a promiscua turba grauissime quidem, at excusatus tamen, quam ipsi procellæ & cædis auctores, peccante. Et inter ipsos, pro quibus deprecatio adhuc locum habebat (quales inter ipsos iudices adhuc aliquot fuisse, probabile est) fuisse Saulum ipse Lucas indicat cap. VII, 58. col. Cap. IX, 1. sqq.

4. Ceterum huc etiam certo respectu pertinent loca Act. XIII, 45. 46. 48. 50. utpote quæ agunt de hostilitate, qua præconium Euangelii contra conscientiam exceptum est; a multis tamen potius in filium hominis, quam in Spiritum S. peccatum esse videtur.

CLASSIS QUARTA

Locorum de peccato in Spiritum Sanctum in epistolis aliquot.

LOCVS I

Hebr. VI, 4. 5.

- v. 4. 5. *Fieri non potest, ut, qui semel fuerunt illuminati, gustaueruntque donum illud caeleste, & participes facti fuerunt Spiritus Sancti, gustaueruntque bonum Dei verbum ac virtutes futuri seculi;*
- v. 6. *Si prolabantur, denuo renouentur ad resipiscentiam, ut qui rursus cruci affigunt sibi Filium Dei, & ignominie exponunt. κ τ λ.*

Obseruationes in h. I.

1. Locus hic proprie agit de eiusmodi apostasia, qua nonnulli, a Iudaismo ad Christum vere conuersi & illuminati, ab hoc ad istum relabebantur, & ita quidem, ut Christum vna cum Euangelio ipsius antea agnatum, & in veritate sua degu-

de gustatum, ludibrio haberent, non secus ac Iudæi illi, qui ipsum repudiatum olim ignominiosissimo crucis supplicio obiecerant.

2. Et cum eiusmodi relapsi ipsum salutis fundamentum ac ordinem abiecerint, & in hoc statu animum obfirmassent penitus, per gratiam istam ita repudiatam, fieri non poterat, ut in integrum restituerentur.

3. Atque ita hic relapsus pro atrocitate sua accipiebat analogiam peccati in Spiritum Sanctum.

LOCVS II.

Hebr. X, 26. seqq.

- v. 26. *Si ultro peccauerimus post acceptam cognitionem veritatis, non adhuc pro peccatis reliqua est hostia:*
- v. 27. *Sed horrenda quedam expectatio iudicii & ignis feruor, qui deuoraturus est aduersarios.*
- v. 28. *Qui adspernatus fuerit Moysi legem, sine misericordia ex duorum aut trium testimonio moritur.*
- v. 29. *Quanto (putatis) acerbioris supplicio dignus censetur, qui filium Dei conculcauit, & sanguinem fœderis, per quem fuerat sanctificatus, profanum duxerit, & Spiritum gratiæ contumelia adfecerit?*
- v. 30. *Novimus enim eum, qui dixit: mea est vindicta, ego rependam, dicit Dominus. Et rursus: Dominus iudicabit populum suum.*
- v. 31. *Horrendum est incidere in manus Dei vivi.*

Obseruationes ad h, I.

v. Eadem est ratio huius ac præcedentis loci. Vti enim illo, sic hoc etiam, Apostolus aduersus defectiōnem a christi-

christianismo ad Iudaismum fideles e Iudæis conuersos grauissime præmonet.

2. Eiusmodi defectio coniuncta erat cum tanta Christianismi & ipsius Christi infectatione & criminatione, quantum hic Apostolus describit. Quantum enim apostatis virus aduersus Christianam religionem ab eiusdem hostibus Iudæis & ab ipso Satana, hoste Christiani nominis insensissimo, fuerit inspiratum, & quanto cum furore istud in Christum & eius cultores sit effusum, vel ex eo colligas, quod Iudæi opera Sauli infirmos etiam inuitosque ad horrendum blasphemiae crimen coegerint. Act. VIII, r. IX, r. seqq. Iam quod hi inuiti coactique fecerunt, alios nonnullos (quorum tamen paucissimos fuisse, probabile est) pro sua ad defectio-
nem *περοδυσία* data opera fecisse, non est dubium.

3. Cum vero hoc ipsum peccatum esset atrocissimum & in eo totum, vt ipsum salutis fundamentum ac ordinem penitus subuerteret, & quo minus eo daretur reditus, contumacissimi animi obfirmatio cum blasphemiae crimine coniuncta obstaret; mirum non est, eiusmodi peccatoribus pro veria horrendum Dei iudicium imminuisse, & hoc iis, qui adhuc stabant, sed ad apostasiam sollicitabantur, quominus sollicitationi succumberent, fuisse denuntiandum.

4. Et quando negatio veniae inter alia his exprimitur verbis: *quod peccatoribus eiusmodi nulla amplius victima pro peccatis relicta sit*, indicatur peccati istius atrocitas, in eo praecipue posita, quod religionis Christianae fundamentum, quod in sacrificio Christi piaculari, seu in officio eius sacerdotali & in generis humani redemptione erat, ludibrio habitum euerteret, atque ita nullum veniae remedium, cum praeter hoc aliud sit nullum, relinqueret.

5. Hoc vero defectionis crimen habuisse proprietatem peccati in Spiritum S. expresse indicatur, quando eidem contumelia in Spiritum gratiae tribuitur. Qui gratiae Spiritus

tus

tus sanctus ratione officii sui, quo gratiam DEI, Christi sanguine partam, in ordine conuersionis applicauerat.

LOCVS III.

1. Io. V, 16.

Si quis uiderit fratrem suum peccare peccatum, quod non est ad mortem, petet & dabit ei (Deus) uitam, iis (inquam) qui non ad mortem peccant; est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget.

Obseruationes ad h.l.

1. Peccatum ad mortem hic non est peccatum quod vis mortiferum, quo quis amissa uita gratiæ mortem spiritualem sibi contrahit. Pro eiusmodi enim peccatoribus utique orare debemus: neque iis reditus ad uitam spiritualem simpliciter & adeo est negatus, ut negatio ista, seu restitutionis *ad uita*, indicet preces aliorum pro istiusmodi peccatoribus esse superuacaneas.

2. *Peccatum ad mortem* est eiusmodi peccatum, quo mors æterna certo certius inducitur, ita ut is, qui ita peccat, restaurationem ad uitam spiritualem ac æternam haut admitat, atque ita nec aliorum deprecationi locum relinquat.

3. Atque ita peccatum ad mortem & peccatum in Spiritum Sanctum sunt synonyma.

4. Quemadmodum uero Christus huius peccati atrocitatem ita exprimit, ut dicat, illud non remitti: ita Ioannes eandem describit per *70 ad mortem*. Ista enim duo conueniunt, seu eundem habent sensum, & tantum differunt, ut antecedens & consequens: siquidem a negata uenia recte argumentamur ad mortem; quemadmodum data uenia, seu gratia, uitæ æternæ fons est; secundum illud Lutheri in catechismo

C

techismo

techissimo minori: Wo Vergebung der Sünden ist, da ist auch Leben und Seligkeit.

5. *Peccare non ad mortem* est ita peccare, vt peccator, etsi grauius delinquit, tamen in officium Spiritus Sancti dascalicum & epanorthoticum non sit iniurius; atque ita aliquam pœnitentiæ spem relinquat.

6. Ea Christianorum veterum e fundamento acceptæ vñctionis erat *ἡ ἀντιτις*, vt de peccatorum grauitate, & de ea etiam differentia, quæ huius loci est, possent certo iudicare.

7. Locutio de precibus pro peccatoribus in Spiritum Sanctum intermittendis ita est formata, vt preces non simpliciter prohibeat, sed eas tantum non iniungat.

8. Ceterum peccatoribus in Spiritum Sanctum adscribendus videtur *Alexander ille ferrarius*, qui Paulo mala intulisse eiusque verbis valde restitisse dicitur; & adeo quidem, vt Paulus abiecta pœnitentiæ spe ipsi denuntiet *ἀντιπόδοσιν*, operibus ipsius contuentem. 2. Tim. IV, 14, 15. Et hic ipse Alexander per gradus, vt fieri solet, ad supremum hoc peccatorum culmen, quod in peccato in Spiritum Sanctum est, adscendit. Nam priusquam Paulus priorem ad Timotheum epistolam scriberet, iam tum tam grauius peccauerat, vt Apostolus significaret, se ipsum cum Hymenæo Satanæ, nimirum ad temporalem, seu corporalem, afflictionem, eamque epanorthoticam & medicinalem, tradidisse, eum in finem, vt castigatus a blasphemiæ crimine desisteret. Ex quo liquet, Paulo tunc adhuc omnino aliquid spei de isto homine fuisse relictum. Sed hæc temporis progressu plane defecerat, Alexandro in peius ruente, adeo vt Paulus in epistola ad Timotheum posteriore post biennium scripta, abiecta omni conuersionis spe, ipsi exilium æternum denuntiaret. Huc etiam non immerito referas *τὸς νεκαιοθηρισμένους τὴν ἰδίαν συνέδησιν*, 1. Tim. IV, 2.

CAP.

CAPVT II

DE

OBIECTO,

circa quod peccatum in Spiritum
Sanctum versatur.

PROPOSITIO I.

Peccatum hoc non versatur circa essentiam ac personam Spiritus Sancti, ita ut illa vel negetur, vel simplici modo contrisitetur.

DEMONSTRATIO.

I.

SI peccatum hoc versaretur circa essentiam & personam Spiritus Sancti, etiam versaretur circa essentiam Patris & Filii, cum Spiritus Sanctus cum Patre & Filio sit vnus & eiusdem essentiae: atque ita non posset vocari peccatum in Spiritum Sanctum.

2. Pharisei & reliqui, qui huius peccati rei peraguntur, numquam dicuntur diuinam Spiritus S. essentiam, aut propriam eius hypostasin, negasse.

3. *Sociniani* negant Spiritus Sancti hypostasin, a Patris & Filii hypostasi distinctam, nec ei tribuunt essentiam cum Patre & Filio communem: sed ideo tamen non dicuntur in Spiritum S. peccare.

4. Negari quidem nequit, omne peccatum esse *ἀνομιαν* atque ita, uti Deo, sic etiam Spiritui Sancto, aduersum esse, ita ut peccator quilibet in quolibet peccandi actu hac ratione peccet aduersus Spiritum Sanctum, non minus quam

C 2

aduer-

aduersus Patrem & Filium; utpote Deum *τελευτώσαντος* actione sua *ἀνόμως* & *ἀντινόμως* offendens. Sed de hac peccati notione generaliori hic non est sermo, cum illa formam peccati specialis in Spiritum Sanctum non constituat; siquidem alias omne peccatum esset tale.

PROPOSITIO II.

Peccatum in Spiritum Sanctum directe non versatur circa doctrinam celestem, quatenus illa est doctrina Spiritus Sancti, seu a Spiritu Sancto reuelata; ita ut eius negatione ac reiectione peccatum hoc committatur.

DEMONSTRATIO.

1. Pharisei & reliqui hostes Christi, quibus peccatum in Spiritum Sanctum tribuitur, non dicuntur doctrinam Moysi & prophetarum de Messia & cultu Dei ac vita æterna, a Spiritu Sancto reuelatam, negasse, aut reiecisse; & tamen in Spiritum Sanctum peccasse arguuntur.

2. Quod si doctrinæ a Spiritu Sancto inspiratæ & reuelatæ negatio & reiectio formam peccati in Spiritum S. constitueret, omnes Athei & sic dicti Naturalistæ dicendi essent peccatores in Spiritum S.: qui vero pro eiusmodi peccatoribus non habentur, nec haberi possunt.

3. Coniuncta quidem esse solet cum peccato in Spiritum S. aliqua purioris doctrinæ negatio, aut corruptio, sed plane diuersam esse rationem, suo loco videbimus.

PROPOSITIO III.

Peccatum in Spiritum S. proprie committitur aduersus officium Spiritus Sancti didascalicum, nec non Epanorthotico-pædagogicum, in negotio salutis, in ordine conuersionis applicandæ, occupatum.

. DE

DEMONSTRATIO.

1. Quia peccatum hoc non committitur aduersus Spiritus Sancti essentiam & personam, nec aduersus doctrinam ab eo inspiratam, sequitur, illud aduersus eiusdem officium, quo is operationem suam quam efficacissime exferit, committi. Alias enim nulla dari posset ratio, cur dicatur peccatum *in* seu *aduersus* Spiritum S. committi.

2. Officium Spiritus Sancti præcipuum, & quod hic attenditur, est illud eius ministerium, quo is gratiam Patris, Christi merito partam, in constituto salutis ordine, qui ipse conuersionis & renouationis ordo est, applicat, atque ita, tamquam Spiritus Patris & Filii, Patrem per Filium in fidelibus glorificat, in iisdem hac ratione glorificatus. Io. XVI, 14.

3. Nec est mirum, id, quod aduersus hoc Spiritus Sancti officium committitur, aduersus ipsum Spiritum S. committi, ita vt, qui officio isti repugnat, dici possit aduersus Spiritum S. peccare. Nam quemadmodum tertia diuinitatis hypostasis *Spiritus* dicitur ab ineffabili suo procedendi modo a Patre & Filio; ita eadem *sanctus* vocatur, non ab essentia sanctitate, vt pote quam cum Patre & Filio æque sanctis communem habet; sed ab *opere sanctificationis*, quod is in negotio salutis perficit. Vnde, qui huic singulari cum pertinacia & hostilitate resistit, recte dicitur *in* seu *aduersus* Spiritum, tamquam *sanctificatorem*, seu *sanctificantem*, peccare.

4. Quodsi mirum videatur, cur isti veritatis hostes, qui, teste historia euangelica, ipsi Christo eiusque ministerio erant contrarii, dicantur in Spiritum S. peccasse, & non potius in Christum? obseruandum est, nequaquam negari, quod peccatum hoc etiam aduersus Christum ipsum fuerit patrum; sed idem peccatum hoc respectu vocari peccatum

carum in *filium hominis*; hic vero maxime respici Spiritum S., quo humana Christi natura sine mensura, seu in immensum plane, vnctā instructaque ad conuersionem hominum se quam efficacissime exferebat. Quia enim Spiritus S. proprium est, vt Christum glorificet, gloriam Dei, seu gloriosam Dei imaginem, in hominibus instaurando. Io. XVI, 8. 14. Hanc glorificationem is primario intendit per ipsius Christi ministerium; quemadmodum eandem pro ministerii ecclesiæ doctoribus demandati scopo habet. Atque ita, qui huic Spiritus S. ministerio, quod Christus primum *ἀποστολῆς*, deinde *ἀγγελλῆς* peregit, hostiliter & acerbe repugnat, ita vt auditorum animos aduersus illud obfirmet & odio repleat, recte dicitur in *Spiritum Sanctum peccare*.

5. Quando Spiritus Sanctus, aduersus quem peccatur, respectu ad hoc peccatum habito vocatur *Spiritus gratiæ* Hebr. X, 19. coll. Zach. XII, 10. intelligitur *gratia DEI applicatrix*, quæ restituendæ salutis negotium complectitur & proprium Spiritus Sancti opus est. Cui qui cum contumacia resistit, ita vt illud ludibrio exponat, ipsum gratiæ Spiritum contumelia afficit.

6. Recte itaque iudicauit AVGVSTINVS & cum eo B. MARTINVS CHEMNITIVS, vel potius ei *ισόψυχος* B. POLYCARPVS LYSERVS in *Harmonia Euangelistarum* Tom. I, c. LIX, p. 611. *Augustinus viam simplicissimam & planissimam monstrasse videtur, dum dicit, esse tale peccatum, quod pugnet cum officio & donis & operatione Spiritus Sancti. cet.*

PROPOSITIO IV.

Peccatum in Spiritum S. committitur etiam aduersus ministerium euangelicum eiusmodi præconum & veritatis testium, qui a Spiritu S. vncti eius organa sunt & opus gratiæ applicatrici in conuersionis ac renouationis ordine iusta

iuſta cum emphafi & ενεργεια urgent, ita vt nulla veteri homini exuendo preſidia & effugia, nec vlla nouo induendo impedimenta relinquunt.

DEMONSTRATIO.

1. Si peccatum in Spiritum Sanctum aduerſus officium Spiritus Sancti committitur, hoc vero ab ipſo non *αισιως*; ſed uti olim per Chriſtum ipſum & eius Apoſtolos; ſic hodie per doctores & veri rectique teſtes Θεοδιδάκταις peragitur, propoſita theſis euictæ veritatis axioma eſt.

2. Hoc comprobatur locus 2. Cor. III, 6. vbi ministerium de Chriſto eiusque gloria euangelicum, quo Paulus & reliqui Apoſtoli fungebantur, dicitur *διακονία τῆς πνευματικῆς, ministerium Spiritus.*

3. Act. V, 30. ſeqq. hoc ipſum ministerium, quod a Chriſto ipſo peractum eſt, & gratiam pœnitentiæ ac remiſſionis peccatorum conferendam pro ſcopo habuit, dicitur etiam ab Apoſtolis peragi, ita quidem, vt non ſolum hi teſtes ſint iſtorum verborum, ſed etiam *Spiritus Sanctus* morigeris datus. Hanc vero concionem non pœnitentia, ſed ipſo peccato in Spiritum Sanctum fuiſſe exceptam, ibidem his indicatur verbis: *at his audiis fremdebant, & conſultabant de illis interficiendis.*

4. Quia ministerium hominum Θεοδιδάκτων eſt ipſius Spiritus Sancti ministerium, ideo Paulus 1. Theſ. IV, 8. ſcribit: *Proinde qui (hæc) aſpernatur, non aſpernatur hominem, ſed Deum, qui etiam dedit nobis Spiritum ſuum Sanctum.* Et Spiritum Sanctum locutum eſſe per Apoſtolos, nemo neſcit. Et eodem agi alios etiam omnes, quotquot in ministerio verbi eius diſciplinæ ſe permittunt, exploratæ veritatis res eſt.

5. Ioanne Apoſtolo epiſtolam primam ſcribente, Apoſtoli

stoli reliqui iam obierant; & tamen adhuc committebatur peccatum in Spiritum Sanctum, quod ipsi *peccatum ad mortem* dicitur, 1 Io. V, 16. vnde idem, quod hactenus ostensum est, confirmatur, scilicet peccatum in Spiritum Sanctum etiam aduersus ministerium gratiæ euangelicum generatim committi.

PROPOSITIO V.

Peccatum in Spiritum S. ita committitur aduersus ministerium testium veritatis, vt simul etiam in personas & doctrinam ipsorum sit iniurium.

DEMONSTRATIO.

1. Ministerium est ministri, eiusque neruus omnis est in ipsius doctrina, adeo vt doctrina hæc & persona ministri ab ipsius ministerio diuelli nequeant. Quare qui iniurius est in ministri alicuius officium, solet etiam iniurias in eius *personam & doctrinam* effundere.

2. Videmus hoc in ipso Christo. Huius enim *ministerio*, quod ministerium Spiritus Sancti erat *ναὶ ἐξουχί*, ita resistebant multi, vt eius *personam & doctrinam* multis proscinderent conuiciis. *Personæ* enim tribuebant commercium cum Sarana, Christum habentes pro Samarita, h. e. pro hæretico & schismatico, nec non pro homine seditioso & deceptore, in ritus Iudaicos & cultum publicum iniquo, & tranquillitatis publicæ turbatore. *Doctrinam* vero eius habebant pro noua & pro hæresi, ad euersionem ecclesiæ & reipublicæ Iudaicæ composita, nec e cælo allata, sed temere conficta.

3. Quibus & quantis calumniis præter *ministerium* etiam *doctrina & persona Apostolorum* pulsatæ sint, historia eorum restatur. Habebantur enim pro *λοιμῶ*, pro peste & seditiosis. Act. XXIV, 5, pro *σπερμολόγοις*, pro *garrulis*, qui quæuis et truiuo arrepta in vulgus spargerent. Cap. XVII, 18, pro *stultis*, pro *περὶ μαθαιμασι & περὶ ψήματι*, pro *purgamentis*

mun-

mundi & piaculis generis humani. 1. Cor. IV, 10. 13. vt reliqua
taceam. Quibus vero conuiciis ipsorum doctrina excepta sit,
ex iisdem & aliis locis liquet.

PROPOSITIO VI.

*Peccatum in Spiritum S. secundo etiam committitur aduer-
sus illos, qui quidem in ordine publicorum verbi mini-
strorum non sunt, at priuatim tamen, pro iure sacerdo-
tii spiritualis, & vita & doctrina mundo præconium pæ-
nitentiæ præbent.*

DEMONSTRATIO.

1. Spiritum S. etiam secundo, seu priuatim, officium su-
um per quoscumque *regentos* & ab ipso vinctos exsequi, nemo
negare potest, nisi qui sacerdotii spiritualis iura voluerit ne-
gare, & verbi monopolio solis publicis doctoribus vindicato,
auditores fungorum quasi & spiritum loco habere.

2. Et quis quæso nescit, sæpe admonitiones priuatorum
hominum priuatas, exemplo laudabili iunctas, id efficere, vt
verbis, seu doctrina, & vita admoniti alii ipsi conuertenti gra-
tiæ locum relinquunt, & re ipsa conuertantur; quemadmo-
dum alios aliorum exemplo & corruptelis corrumpi, ita vt
gratiæ statu excidant, notum est.

3. Iam vero si Spiritus S. officium priuatum etiam inter
priuatos deprehenditur; quid est mirum, peccatum in Spi-
ritum S. etiam aduersus istos & ipsorum ministerium Euan-
gelii priuatum committi? Vnde de Christianis singulis scri-
bit Petrus epist. 1. cap. IV, 14. *Si conuiciis afficimini pro no-
mine Christi, beati estis: quoniam ille gloriæ & ille Dei Spiri-
tus super vos requiescit, qui, quod ad illos quidem attinet, blas-
phematur, quoad vos vero glorificatur.*

D

4. Ce-

4. Ceterum in locutione: *peccare*, seu *peccatum in Spiritum S.* committere, particulam *in* habere notionem præpositionis *contra*, seu *aduersus*, notum est e re ipsa. Vt nam vero Germani nostri abstinuissent a particula *in*? Nos enim ea non utimur in isto sensu. Vnde imperitos audias sic loqui: *die Sünde im Heiligen Geist*, pro: *in den*, seu *wider den Heiligen Geist*; quemadmodum locutio ea Luc. XV, 18. *pater peccati in* *rov è g zwòv*, *in*, seu *wider den Himmel und vor dir*, vulgo imperite reddi solet: *Vater ich habe gesündigt im Himmel und vor dir*. In locis vero de peccato in Spiritum S. diuersa est loquendi ratio. Marth. XII, 31. 32. adhibetur *uàsa* contra, sed Marc. III, 20. & Luc. XII, 10. *in* eadem notione: vnde desumpta est Latina & Germanica locutio.

CAPVT III

DE

SVBIECTO PECCANTE,
seu ipso peccatore in Spiritum S.

PROPOSITIO I.

Quicumque aduersus officium Spiritus S. peccat ex ignorantia, etsi facile superabili, ille quidem peccat quam grauissime; proprie tamen non committit peccatum in Spiritum S.

DEMONSTRATIO.

Exemplo nobis luculento est *Paulus*. Hunc aduersus officium Spiritus S. peccasse non est dubium, cum illud in Spiritum S. organis ad blasphemiam vsque oppugna-

pugnaret, immo nominis Christi confessores, Spiritu Christi ad ingenuam confessionem animatos ac impulsos, vi ad blasphemiam adigeret, & quo minus per Spiritus S. ministerium, quod is per organa sua exferebat, alii converterentur ad Christum, omnibus modis obstaret. At Paulum commisisse peccatum in Spiritum S., nemo dixerit. Quo enim is minus dici possit, illud commisisse, obstat eius ignorantia. Et hanc ipse allegat Paulus; *mibi, inquit, blasphemio & persecutori exhibita est misericordia, quia ignorans feci in infidelitate.* 1. Tim. I, 13. Ista vero Pauli ignorantia inde venit, quod partim Tarso e patria sua serius, uti probabile est, accessit Hierosolymam circa finem ministerii Christi, & quod præceptoribus suis pharisaicis adeo se præbuit obnoxium, ut ipsi etiam occasione, qua in rei christianæ notitiam peruenire potuisset, data opera defuisse videatur. Quando autem Paulus ignorantiam suam allegat, rationem ostendit, cur sibi non negata fuerit venia, uti aliis, qui scientes contra conscientiam suam, atque ita contra Spiritum S., cuius officium iam satis efficaciter senserant, quam contumacissime peccauerint.

PROPOSITIO II.

Quicumque peccat ex infirmitate & e violenta aliorum coactione, ita ut minis, aut tormentorum atrocitate territus, aduersus agnitam caelestem veritatem verbis & factis delinquat, grauisime quidem, non tamen contra Spiritum S. peccat.

DEMONSTRATIO.

Exemplo hic nobis est *Petrus*, qui quidem sciens ac contra conscientiam Christum abnegauit, sed imminentis supplicii grauitate territus, & imbecillitate sua abreptus.

D 2

Idem

Idem sentiendum est de illis, quos Saulus furens minis ac vi ad blasphemiam, seu Christi & Christiani nominis execrationem, adigit. Quemadmodum enim Petrus peccati istius sui grauissimi veniam obtinuit: sic plurimos etiam ex aliis eandem acta pœnitentia obtinuisse, non est dubitandum. Huc etiam pertinent omnes illi, qui grauiorum persecutionum tempestate, tormentorum metu, ad religionis christianæ abnegationem adacti sunt, sed ea desæuiente cum Deo & ecclesia in gratiam redierunt.

PROPOSITIO III.

Illius, qui in Spiritum S. peccat, proprium est, ut ratione intellectus contra conscientiam, seu conuictionem meliorem de veritate, quam impugnat, ratione voluntatis vero e malitia delinquat,

DEMONSTRATIO.

1. Huius propositionis veritas elucet e duabus præcedentibus. Quod si enim in peccatore in Spiritum S. nec ignorantia, nec infirmitas supponitur, & peccatum tamen committitur, necesse est, illud committi contra conscientiam & ex malitia.

2. Idem confirmat exemplum Phariseorum. Hos enim non laborasse ignorantia causæ Christi, sed de eius innocentia & diuina præstantia fuisse conuictos, inter alia huius rei vestigia abunde constat ex illa Nicodemi confessione, quam is de se & vniuerso synedrio ac Phariseorum scribarumque turba coram ipso Christo his edebat verbis: *Rabbi, scimus, te a Deo venisse magistrum: nemo enim potest hæc signa edere, quæ tu edis, nisi Deus sit cum eo:* Huc inter alia pertinet locus illustris, Matth. XXII, 15, 16, *Tunc abeuntes Phari-*

sai

ſcī conſilium ceperunt, vt illaquearent eum in ſermone: itaque mittunt ad eum diſcipulos cū Herodianis, dicentes; doctor, ſcimus te veracem eſſe, & viam Dei in veritate docere, nec quemquam curare. x. τ. λ. Id quod, etſi dicebant captioſe ac ſubdole; erat tamen ex vero dictum, conſcientia ipſorum ita atteſtante, vt ſimile malitia ſcopi conſeſſioni iſti repugnaret. Voluntatis vero malitia in ipſis quanta fuerit, vel ſanguinaria ipſorum conſilia & molimina abunde prodiderunt.

PROPOSITIO IV.

Illam tamen conuiſio, quæ de veritate oppugnata peccatori in Spiritum S. tribuitur, nequaquam extendenda eſt ad ipſam illuminationem paſſiuam, ſeu ad ſupernaturalem genuinæ cognitionis habitum, ita vt eiſmodi peccator omnis pro vere illuminato habendus ſit.

DEMONSTRATIO.

1. Peccatoris huius conditio præcipue diiudicanda eſt ex illis ſcripturæ locis, quæ Capite I ex Euangeliftis, & Actis Apoſtolorum producta ſunt. Iam vero in illis omnibus nullum plane eſt veſtigium, peccatores illos, de quibus hic ſermo eſt, vere fuiſſe illuminatos. Contrarium potius ex iisdem, cum integra ſermonis *συναφεία* collatis, eſt manifeſtum. Quis enim neſcit, Phariſæos & ſcribas ac reliquos ex Iudæis omnes, quotquot Euangelio Chriſti repugnarunt, ab ipſo Chriſto multis modis ac verbis haberi pro *ſultis ac cæcis*, nec non pro *cæcorum hodegis*? vide Matth. XV, 14. XXIII, 16. 17. 19. 24. 26. Luc. VI, 39. conf. Rom. II, 19.

2. Huc etiam in primis referendus eſt locus Io. IX, 39. ſeqq. *Et dixit Ieſus: ad iudicium ego in hunc mundum veni, vt, qui non vident, videant, & qui vident (ſe pro videntibus,*

feu pro illuminatis perperam habent) *cæci fiant. Audierunt autem hæc quidam ex Phariseis, qui cum ipso erant, & dixerunt: Num & nos cæci sumus? quibus dixit Iesus: si cæci essetis, (vestram agnosceretis cæcitatem) non haberetis peccatum: nunc vero dicitis: videmus: itaque peccatum vestrum manet. Illos vero, qui spiritualiter cæci sunt, pro illuminatis & pro videntibus habere, tantum est σιδηρόξυλον, tanta contraditio, qua vix potest esse maior.*

3. Differentia, quæ inter *conuictos & illuminatos* intercedit, vt eo fiat euidentior, sequens notetur eiusdem illustratio, imagine quadam representata. Sunt duo ægroti, qui etsi membrorum corporis vsum adhuc habent medicrem, morbum tamen in visceribus suis alunt lethalem, cum summa oculorum lippitudine priuationem visus minante coniunctam. His commendatur medicus, non solum fide & dexteritate, sed longo ac felicissimo etiam rerum vfu insignis. At hic ipse ab aliis traducitur, tanquam impostor nequissimus, qui ægrotis pecunia emunctis pro valetudine necem attrahat. Nihilominus duo isti ægroti ipsum aduunt, quid subsit, experturi. Experiuntur re ipsa contrarium, scilicet medicum esse sincerum & fidelissimum, & ob ipsam fidelitatem ac sinceritatem suam improborum odii ac calumniis expositum: ideoque eius curæ se tradunt. Verum enim vero, cum is modum in medendo adhibeat ingratum, & ob amurulentas aliasque nauseam cientes potiones inuisum; vnus ægrotorum, *Titus* nomine, medicum deserit, & ne sibi desertionis culpa exprobratur, non solum calumnias, de medico antea ex aliis auditas, suas facit, sed nouo etiam cumulo eas auget, quam iniquissime confingens, se pessima quæque, quæ fideli ac felici curationi obitent, ex eius ore percepisse, & in eius vita suis conspexisse oculis, hac ratione alios etiam ægrotos, ne cure eius

eius se concedant, ab eodem absterrens. Alter vero, *Cæius* nomine, probata admissaque medendi methodo, & servata, etsi primum ingratiore, salubri tamen, diæta, in medicinæ vsu cum sanitate partium interiorum etiam integrum oculorum suorum vsu quam felicissime recuperat, & de medici sui dexteritate ipso euentu quam certissimus red- ditur.

4. Hic habemus aliquod simulacrum differentiæ, quæ inter *conuictionem* & *illuminationem* intercedit, & simul il- lius peccati, quod in officium Spiritus Sancti medicinale committitur. Titium vero exhibere imaginem hominis post acceptam conuictionem in Spiritum S. peccantis & in cæcitate sua permanentis, quilibet animaduertit.

5. Adhibebo hanc ipsam vtriusque ægroti imaginem, cum applicatione ad medicos animæ genuinos, sinceros Spiritus Sancti ministros. Exemplo nobis sint *Iulius* ac *Sempronius*: Hi sunt doctores *Dididactoi*, non minus vitæ, quam doctrinæ, integritate conspicui, & multo etiam offi- cii sui fructu in effecta animarum conuersione nobilitati, atque ita organa Spiritus S. insignia, quibus is officium su- um quam efficacissime exsequitur. Sed quia, repudiata la- ta, arctam cæli viam, ad quam non nisi per angustam veræ conuersionis portam aditus patet, vulgo ingratiſsimam, commendant vrgenque apud omnes, qui ab ea horrent, male audiunt, immo acerbissimis excepti odiis vario conu- ciorum genere proſcinduntur, & pro impostoribus, pseu- dodidascalis, immo fanaticis & hæreticis, habentur, ipsa do- ctrina eorum hæreseos, certe grauioris heterodidascalix, postulata. In horum disciplinam, seu lectiones ac scripta, incidunt *Titius* ac *Caius*, audiuntque ex ore ipsorum iden- tidem ea, quæ sparsis de iisdem calumniis plane sunt con- traria. Et cum doceant *αὐτὸς ἐξ ἑστίας ἕχουτες*, generatim con-
vin-

vincuntur cum de sinceritate personarum, tum de puritate doctrinæ ipsorum. Cum vero animaduertant, se pro genuinis eorum, aut potius doctrinæ ab ipsis propositæ, discipulis haberi non posse, nisi eam ad immutationem animæ ac vitæ suæ imbibant, & abnegato more pristino vitæ nouitate exprimant; quid agant, valde hærent; & *Titus* quidem ab instituto plane refilit, *Caius* vero disciplinæ se tradit obsequentem. Vterque erat conuictus. Sed quemadmodum *Caius* tantum in scholis istis recte proficit & illuminatur; sic *Titus* monitoribus suis asper a proposito recedit & in cæcitate sua permanet. Ne vero hæc melioris disciplinæ desertio suo tribuatur vitio, eam, ipsosque doctores sinceros, variis ac durissimis pulsat conuictis, errorum, factorumque ipsos postulans, a quibus sunt alienissimi. Qua ratione etiam apud multos alios effectus officii Spiritus S. salutare impediuntur. Et hæc ipsa malitia id etiam efficit, vt melior, quam habuerat, conuictio, sensim exspiret, ipsum tamen relinquat *διτροχῆσανατολῶν*, in primis cum recordatio consopitum istius animum sapius non sine efficacia subeat, eumque remorsibus pungat.

PROPOSITIO V.

Et huic asserto, de conuictione peccantium ad veram illuminationem non extendenda, nequaquam obstant loca epistolæ ad Hebræos Cap. VI. & X.

DEMONSTRATIO.

1. Quemadmodum supra Cap. I. euictum est, de qualitate peccatoris in Spiritum S. proprie iudicandum est e locis huius materiæ primariis, quæ leguntur in Euangelistis & in Actis Apostolorum. Hæc vero loca eo tantum se-

cun-

DE PECCATO IN SPIRITUM S. CAP. III. 33

cundum analogiam aliquam pertinere, ibidem simul ostensum est.

2. E locis epistolæ ad Hebræos tantum emergit hæc propositio: quicumque vere illuminatus ita peccat, quemadmodum citatis locis describitur, ille committit peccatum in Spiritum S. At hæc propositio non est, vt ita loquar, conuertibilis, ita vt falsa veritate possit conuerti, seu e prædicato fieri subiectum & e subiecto prædicatum, h. m. quicumque peccatum in Spiritum S. committit, is vere est, seu fuit, illuminatus. Quo enim minus propositio ista prior hoc modo conuerti possit, obstant loca de hoc peccato reliqua, eaque plura & primaria.

3. Iam vero, si loca omnia recte inter se conferas, inde resultant hæc propositiones:

Illi, qui in Spiritum S. peccant, proprie sunt non regnati & non illuminati, seu homines a statu gratiæ adhuc alieni, conuicti tamen.

Peccatum in Spiritum S. non nunquam etiam a regnatis & vere illuminatis committitur, qui tamen ipsa huius peccati commissione gratiæ statu excidunt.

PROPOSITIO VI.

Peccatum in Spiritum S. præcipue & maxime a publicis sed non renatis & Pharisæicis ecclesiæ doctoribus sub maligno purioris doctrinæ ruendæ zelo committitur.

DEMONSTRATIO.

1. Propositionis duo sunt membra, prius de peculiari ordine peccantium, seu in quonam hominum ordine hoc peccatum præcipue deprehendatur; posterius de prætextu, quo in peccando vti soleant.

E

2. Mem-

2. Membrum prius per se sua radiat luce, si consideres, tempora Christi & Apostolorum, & scripturæ loca, quæ de peccato hoc agunt, & istud publicis doctoribus tribuunt.

3. Istos vero tuendæ orthodoxiæ Iudaicæ prætextu esse vfos, ex iisdem monumentis liquet. Immo tantus erat stupor mentium, vt sub maligno isto zelo, & sub opinione cultus singularis Deo præstandi, ad ipsam eadem vsque furerent aduersus veritatis hostes. Et prætextus iste, quod tandem apud peccatores tam enormes ipsam de vero rectoque persuasionem obtinuerit, indurantis peccati deceptioni tribuendum est.

4. Non tamen est existimandum, peccatum hoc tam atrox a folis ecclesiæ doctoribus committi. Quis enim nescit, ab iis etiam multos alios in criminationis societatem pertrahi? Inter hos tamen sic deceptos plerosque peccare cum Saulo, non sine malitia quidem, at potius tamen ex ignorantia, etsi facile superabili, quam contra conscientiam rectius conuictam; atque ita grauissime quidem, non tamen in Spiritum S. delinquere, iam per se e dictis liquet.



PRAESES
RESPONDENTI

s. D. P.

EXacto academico studiorum triennio, carissime ROTH, paras abitum & reditum in patriam vna cum fratre germano. Ilte vt vtrique faustus sit ac felix, est, quod ex animo precor. Salutare vero ac prudens est consilium venerandi domini parentis vestri, quod eo tendit, vt, quantum in studiis profeceritis, publico disputationis specimine

E 2

ex-

exhibeatis. Et in hoc vos statu-
ros esse ita, vt decet, & vti auditorium
doctum exspectat, eo minus dubito,
quo magis mihi, a cuius latere per
hosce tres annos hæstis, diligenti-
am vestram, eamque vitæ *euasija*, or-
natam, probastis. Dabitur vero ope-
ram, vt, quæ bene cœpta sunt, sacra-
rum litterarum studia, non solum
continuentur, sed etiam in pratico
renouationis ordine magis magis-
que sanctificentur, & sic digne ex-
colantur. Hac enim ratione recte
exulta ac perpolita demum eccle-
siæ erunt digno vsui & familiæ orna-
mento, Deo autem ad amplifican-
dam nominis sui gloriam decenti in-
strumento. Id quod ex animo vo-
ueo. Dabam Halæ Sax. d. xvi. Sept.
MDCC XXVII.

ARdua diuinæ sophiæ mysteria nosse,
 Acriter & studiis inuigilasse sacris,
 Ac tandem specimen sacrorum ferre laborum,
 Egregiæ merito semina laudis habet.
 Hoc ubi iam grauius præstas, doctissime **ROTHI**,
 Doctrinæ prodis signa profusa **TVAE**.
 Nam quoque materiam, quam nunc cum laude tueris,
 Vix magis abstrusam pagina sacra tenet.
 Hinc quum diuinæ grauiorès soluere nodos
 Doctrinæ studio non grauiore queas,
 Quid non in facili nobis sperare labore
 Deque **TVIS** curis auxiliisque licet?
 Gratulor ergo **TIBI**, plausus ac vota fideli
 Pectore nunc fundo, veneror nutuque su-
 premum,
 Quo **TE** florentem porrectis contegat alis,
 Ac varii generis prosperitate bect,
 Firmiter vt possis pro causa, tempore cuncto,
 Cælesti nixus robore, stare Dei.

*Hisce nobilissimo & doctissimo responden-
 ti, amico honoratissimo, de presenti
 eruditionis specimine congratulatur,
 atque in patriam abeunti omnem diui-
 nę gratiæ abundantiam, ac felicid-
 quentis precatur ex animo*

ERNESTVS FRIDERICVS NEUBAVER,
 Magdeburgensis, sanctæ theol. cultor,
 Opponens.

E 2

Les

GODERON CHRISTEN ROTH
 Bonbecor Faleo Hæren. Oppon.

Les choses, qui sont mis sur le plus haut degré,
Ont deux, & meme très contraires qualités;
Les unes sont le fond des biens très souhaitables,
Les autres contiennent des maux très effroyables;
Et parceque toutes deux sont fort incompatibles,
Où l'une est soutenüe & bien enracinée,
L'autre est fugitive & toujours exilée.
Ainsi, quand le peché, le plus grand & terrible
Avec tous ses motifs & ses occasions
Et la racine en est arrachée jusqu' au fond,
On n'y verra point du neant & du vuide,
Mais tous les gens auront la vertu pour leur guide:
On verra le palais luisant de la sagesse,
Et briller sur son throne l' aimable pieté.
C'est ainsi, mon cher Frere, que Vous voulez montrer
Le triste evenement & vilaines fadesses
Dugrand peché si fort contraire au saint Esprit :
Vous faites voir par là le degout, le depit,
Que Vous avez conçu pour toute sorte des vices ;
Et Votre attachement au bien & vrays delices,
Qui peuvent contenter L'Esprit & lui plaire.
Hâissez donc le mal, & mettez les fruits
Et les vertus parfaites du vray & saint Esprit
Au leur plus haut degré, & ne cessez d' en faire
Toujours profes.sion en sainteté du coeur!
Le Vous souhaite pour cela les secours du Sauveur.

Ce sont les vœux sinceres & les temoignages
de la fraternelle affection, avec laquelle j' ai
toujours été & serai

MON CHER FRERE

VOTRE

très sincere frere

GODEFROI CHRETIEN ROTH.

Bombecca-Palæo-March. Oppon.

Hic bene quam TIBI sit nunc tempus Amice locatum,
Egregium specimen non sine laude docet;
Et quot sacrosos Israëlis fonte liquores
Haueris, egregie comprobat hicce dies.
Nam nunc quod satis est abstrusum dogma tueris,
Quod multis doctis exhibuitque cruces.
Hinc adplaudo tuis sincero pectore cœptis,
Utque TIBI cedant omnia, fausta precor,
Ac *grauiora* velut solers iam dogmata tractas,
Munere sic Numen TE *grauiore* beet!

*Sic præstantissimo Respondenti, Amico coniunctissimo,
specimen industriæ suæ ex cathedra academica
edenti, gratulatur*

IOACH. FRID. OST
Zedenic. Meso-March.

Sleichwie das Bienen Bold aus Rosen und Viole
Den wunderschönen Saft des süßen Honigs
macht:
So muß man auch den Schatz der edlen Weisheit holen
Aus Schriften, welche man für unvergleichlich acht;
Und da DU, Werther Freund! denselbigen gefun-
den,
So wünsch ich tausend Glück und süße Ammuths Stunden!
Nathanael Reinherz Schäffer,
Dabera-Pomeranus, S. S., Th. Stud.

✻(o)✻

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.

DE RIVIS FOR...
ET HYDRI...
DE...
Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. Includes a circular emblem or seal on the right side.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.




Fg 6179


ULB Halle

3

002 675 65X







15.

DISSERTATIO PRIOR
DE
**PECCATO
IN SPIRITVM
SANCTVM,**

QVA
DE SEDIBVS HVIVS DOCTRINAE BIBLICIS,
NEC NON
PECCATI HVIVS OBIECTO ET SVBIECTO
PECCANTE AGITVR:
IN REGIA FRIDERICIANA
DIE SEPTEMBRIS HVIVS M DCC XXVII ANNI
PVBLICAE DISQVISITIONI SVBMISSA

A
D. IOACHIMO LANGIO,
S. THEOL. PROF. ORDIN.
ET RESPONDENTE
FRANCISCO ANTONIO FRIDERICO Stoth, u.
BOMBÈCCA - PALAEO - MARCHICO,
S. THEOL. CVLTORE.

HALAE MAGDEBVRGICAE
TYPIS CHRISTIANI HENCKELII ACAD. TYPOGR.

